

336 Dissertatio Illud: Sicut palma &c.

mendosè legisse illos fateamur oportet, quod etiam ante nos Recentiores quique Interpretes agnoscentes, duces illos eā in re deseruerunt.

Tertia superest lectio in hunc sensum (b). Dicebam: *In nidulo meo moriar, & sepulchri vita igniculum excitans, resurrectio suæ exemplo cæteros in spem resurrectionis perennisque vita erigeret.*

b Viam in Kinni egrah Vechachol ar- beth Jamim.

prædicandam, qui ē pulvere & favilla sepulchri vita igniculum excitans, resurrectio suæ exemplo cæteros in spem resurrectionis perennisque vita erigeret.

Porrò interpretationem illam vindicant 1. Ipsa rei evidētia. Deducit enim ab arena similitudine pro annorum & bonorum multitudine exprimendā, Scripturæ maximè familiaris est. 2. Genuina verbo- rū Originalis significatio, quæ varis Scripturæ locis consonat. 3. Peritissimorum Interpretum eā in re consensus, ut Chaldaici, Syriaci, Arabici, Montani, Paganini, Munsterii, Castalionis, Junii, Tremellii, Merceri, Vatabli, Codurci, & plurium aliorum. 4. Tandem Rabbini, qui vocem Chol reddunt avem quandam immortalem, qua à vetito fructu abstineretur, fabellam venditant adeo putidam, ut nullam fidem, nihilque sibi deferri mereantur. Postrema igitur hec explicatio ponebat. Neque hæc tantum, sed & Iesu Christi resurrectionem oraculo suscipit

IN DUOS LIBROS MACCHABÆORUM.

PROLEGOMENON.

Post restitutos in priores sedes Babyloniacā captivitate solutā Judæos, nova plenè Republica forma à veteri diversa inducta est. Mansit enim regio Persis, quorum beneficio libertatem recepérat, tributaria, & Praefecti eorum arbitrio constitutis submissa.

Præfuit igitur omnium primus Sashabatar à Cyro datus, quem Persam, & planc à Zorobabele diversum esse arbitramur (a). Mansit ille in provincia usque ad Regnum Assueri, alio nomine Smerdis Magi, qui iustos ab adiunctio Templi affinere Judæos, Syriae Præsidū regendos assignavit (b). Secundum hac, Esdras facultate Artaxerxes Longimanus, præfecturā regionis auctor in Judæam venit (c); sed adversarios gentis suæ æmulos nactus, si- ve quod Aula Persarum in expeditione Ägyptica occupata præsidio destitueretur, sive tandem quod necessaria tanto muneri authoritas viro desuisset, inquietam magnisque turbis agitatam habuit Republikam.

Labentes res populi sui intelligens Nehemias, ab eodem Artaxerxe Rege Persarum cädem præfecturā impetrata in regionem se contulit (d), potestate pariter conseruendorum mēnū & portarum Jerusalēm auctus. Commisum sibi munus tantā virtutis & sapientiae laude obivit, ut de Republica summā autoritate disponeret, neque populo oneri esset, quemadmodum ceteri ante ipsum Persæ regionis Praefides ceteri ante ipsum Persæ regionis Praefides dat; quibus 40. sacerdotum vestigial dietim pendebatur (e). Neque cæteros tantum

a Vide 1. Esdr. 18.11. & Com. mentar. ibid.

b Vide 1. Esdr. 14.6.7. &c. & 17. 18.22.23. &c. 5. 3. &c. & 6.13. c Vide 1. Esdr. 7.25.

d 2. Esdr. 1. 10. & 3.7.8. & 6.2.

e 2. Esdr. 5.15.

è populo, sed & Sacerdotes ipsos habebat subjectos, quos sive extores agere, sive multæ subiçere pro meritis poterat (f). Ex quo aperte sanè intelligimus, politican Republica administrationem populo permisam non esse, quemadmodum Scriptoribus nonnullis affirmandum succurrat. Quin nec temporis successu suprema illi authoritas relicta est. Zacharias 6. 11. 12. 13. authoritatē Summi Sacerdotis, & Zorobabelis aperte distinguit; illum enim dicit populū in rebus ad Legem pertinentibus habuisse subjectum; cùm Princeps Nationis omnia in regione necessaria curaret ad nutum Regis & Præsidū Provinciæ (g).

Post Nehemiam nonnulli etiam Pagani Praefides subjectam Persarum Regibus Judæam habuerunt; inter quos Bagofes, ab Artaxerxe missus, præter consueta regionis tributa 50. etiam drachmas pro singulis agnis in Templo oblatis pendens edixit; quin & in Summum Sacerdotium manum extendere tentans, sacram illam dignitatem Iesu fratri Joannis, sive Jonathæ Summi Sacerdotis pollicitus est. Iesu cum fratre & æmulo suo altercatus in Templo, cum res ad manum venisset, ab eodem fratre ibidem occisus est (h); quod Praefidi novam in Sacrum locum & in libertatem populi audiendi præbuit occasionem. Domum itaque sanctam pervasis, Judæosque genere quodam servitutis submissos habuit toto eo septennii spatio, quo post obitum Iesu provinciam administravit.

Artaxerxes Ochus domitæ Phoeniciæ &

Ägypt.

f 2. Esdr. 13. 4.8.9. 28.

g Vide nob. Comment. in Zach. 3.7.

h Joseph. lib. 11. cap. 7. An-

tig.

i Vide Ufer. ad A. M. 3684.

Diodor. cum

Appiano in Sy-

riac. pag. 119.

121. Pausan.

in Attic. pag.

5. Joseph. An-

tig. lib. 12.

cap. 1. Aristot.

de 70. Inter-

pret.

in Vide Dio-

dor. Sicul.

Olymp. 117.

A. M. 3692. &

3693.

n Vide Ufer.

ad A. M. 3721.

o Sever. Sul-

pit. his. Sacr.

lib. 2.

p Idem lib. 12.

cap. 2.

q Joseph. lib. 2.

contra Appian.

r 3. Macc. 1.

Polyb. lib. 5.

pag. 422. &c.

Prolegomenon.

337

Ägypti spolia pluribus in captivitatem adductis Judæis auxilijs ad incolandam misit Hircaniam, regionem Maris Caspii, & ipsam pariter Babylonem; ibique manifeste etiam Judæos diu post Jesu Christi statem, reducendosque tandem statâ divenitus die Veteres quidam autumaran (i).

Toto temporis spatio Reipublicæ administratio Summis Sacerdotibus relicta videtur, cùm Alexander Magnus in Syriam veniens, Jaddum Summum eorum Sacerdotem ad deditonem sollicitarit, insdem propositis conditionibus oneribusque, quibus ad id usque Dario servierat. Reculavit Jaddus, Persarum Regibus fidem suam sacramento obligasse caufatus (k). Deinde vero parentum victori censuit, cum & nihil præfidi manere sibi in Persis intellexeret, & victoris armis sustinendis impares essent Judge. Mansit igitur subiecta Macedonibus regio, quemadmodum olim Persarum Regibus paruit.

Sublato Alexandro, Judæa fortunam Syriæ, cuius illa portio habebatur, secuta est; & cum inter Syriam & Ägyptum media versaretur regio, utriusque provinciæ vices, quas sive ambitio regnandi sive duorum amplissimorum Regum potentia inducebat, experta est. Perdiccas & Antipater primò regendam commiserunt Laomedonti Mitylenę, quem Ptolemagus Lagi Rex Ägypti pecunia corrumperet frustra tentavit. Cum igitur nihil pecunia valueret Ägyptius, Nicanor unum ex amicis suis ad edomandam Syriam & Phoeniciam non improspero successu misit. Internum Ptolemaeus copias in Judæam ducens, dolo Jerosolymam coepit, eversisque moenibus triumphantis more 100000. Judæorum trahens, in Ägyptum regressus est. Ex his Judæis 30000. circiter selectissimos in summum exercitum adscivit, potissimum quoque arcuum cultu illis commisit (l). Post 5. vel 6. annos Antigonus easdem provincias ditioni sua adiecit; sed cum defendendas reliquit Demetrio filio suo, ille à Ptolemaeo vietus in prædam victoris omnia reliquit (m). Accurrens statim Antigonus, pulso Ptolemaeo ditio- ni suam vindicavit (n). Successu temporis Seleucus Nicanor tributariam sibi eandem provinciam reddens, administrandam reliquit Summis Sacerdotibus Judæorum, imposito 300. talentorum tributo (o). Judæum populum summis beneficiis devincendum sibi Ptolemaeus Philadelphus Rex Ägypti susecepit (p). Ad eundem Regem pertinuisse tum temporis Provin- ciā & historia Septuaginta insinuat, & S. Hieronymus in Ezechielem 25. aptere testatur. Patris in Judæos amorem amulatus est Ptolemaeus Evergetes, qui Jerusalēm veniens, plurima in Templo munera consecravit (q). Antiochus Magnus Syriæ, Phoeniciæ, & Palæstina Philopatorum expoliavit, sicut & ille vicissim ab eodem Philopatore deinde expoliatus est, infigni prælio vietus juxta Raphiam urbe in finibus Ägypti (r). De prospero huius victoria successu gratias acturus Philopator, Jerosolymam sacrificia oblatus ve-

nit; sed ab aditu penetralium Templi à Sacerdotibus exclusus, adeo in Judæos exarsit, ut in Ägyptum redux ejus regionis Judæos omnes perdendos suscepit, quemadmodum in tertio Macchabæorum relatū est. Deus tamen fidissimi sibi populū patronum se exhibens, id commisit, ut Rex & voluntatem mutaret & consilia.

Dum in vivis egit Philopator, quieta omnia ab Antiocho; sed illo fatis functo, Asia provincias Regibus Ägypti subiectas invasit. Averis deinde aliò armis vacuam regionem Scopas à Ptolemaeo Epiphane cum exercitu missus recepit, occupato interim Antiochō in bello cum Attalo Rege Pergami (s). Brevi tamen ille Scopam in ordinem rededit, & cum inter primo- res, qui ad partes suas transferant, Summum Sacerdotem Judæorum habuissent, receptusque ab illo Jerosolymam venisset, præstitum sibi obsequium pluribus collatis beneficiis repedit.

Conciliatis interim ab Antiochō inter Cleopatram filiam suam & Ptolemaum Epiphaneum Rēgem Ägypti nuptiis, genero attribuit Phoeniciam, Judæam, Coëlesyriam, & Samariam, cā tamen conditione ut tri- butus aquis portionibus inter Syriæ & Ägypti Reges dividenterent [t].

Is rerum status aliquanto mansit, quietis interim manentibus Judæis rebus sub Antiochō Magno, & Seleuco Philopatore, qui in Regno successit. Quanquam postremo isto rerum potente, ad expilandum Sacrum Ärarium Heliodorus Jerosolymam missus est; sed diræ animadversioni ab Angelo subiectus re infecta abiit, & cum à Rege tentare iterum inceptum tuberetur, si quem babes hostem, mitte illuc (u), repofuit.

Antiochus Epiphanes, quo rerum potente maxima rerum, quæ in Libris Canonice Macchabæorum referuntur, portio contigit, Seleuco Eupatori successor. Manerat illi aliquanto Romæ obes pro Antiochō Magno parente; sed frater ipsius Seleucus Rex Syriæ consilium agitans vindicari sibi quacumque pater suis Regibus Ägypti cesserat, restitu sibi Epiphaneum, misso in ejus locum Demetrio filio suo, à Senatu Romano precario obtinuit. Epiphane reduce, Seleucus interim diem clausit; quare Epiphanes ipse satis opportune in Regnum veniens, & Regia insignia capere, & continere in officio Ägypti Doceas, Syriam invadere tentantes, valuit. Namque comparato in illos exercitū, non ab incepto tantum invadendi alienam regionem abstinere, sed suam potius defensionem parare cogit.

Interim Jason frater Onias III. Summi Sacerdotis grandi pecunia facram item & civilem gentis suæ dignitatem ab Epiphane emerat. Ejus operā constructum Jerosolymis gymnasium in usum Graecarum exercitationum, ex quo & in mores extra- nos studium, & in proprias Leges avitosque mores & religionem contemptus inducitus est. Antiochus agitatum olim consilium, adjiciendi scilicet ditioni suæ Ägyptum, menti altius imprimens, ex quo rebus præesse infantem, & disponi inte-

s Vide Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 5.2. Macc. 3. Hieron. in Dan. II.

u 2. Macc. 3. 1.38.

Dissert. Calmet. Tom. I.

V V rim